



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

Poemata Ferdinandi Fvrstenbergii, S.D.N, Alexandri VII. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

POEMATA
FERDINANDI
FVRSTENBERGII,
S. D. N.
ALEXANDRI VII.
PONT. OPT. MAX.
CVBICVLARII INTIMI.

POEMATA
FERDINANDI
TVRSTENBERGII
S. D. M.
ALEXANDRI VII.
PONT. OPT. MAX.
CYBICULARII INTIMI

F
A
B
Adu
Schu
berg
Fred
pa,
Colo
M. D
funct



Alter
Tityrus
Carmin
Varus
Fecerit

DAPHNIS,
SIVE
FREDERICVS
A FVRSTENBERG,

Bilstenij & Wallenbergæ Dynasta;
Aduocatus hereditarius in Graffschafft;
Schnellenbergæ, Watterlappiæ, Fursten-
bergæ, & Herdringæ Toparcha; Satrapa
Fredeburgensis; Westphaliæ Archifatra-
pa, & Serenissimo Ferdinando Electori
Coloniensi ab intimis Consilijs, anno
M. DC. XLVI. v. Idus Augusti Bonnæ de-
functus.



*Misij virides umbrat quâ plurimâ
ripas*

*Fronde salix glaucâ, Lycidas hinc,
Tityrus illinc,*

Alter oues, alter pascebat fortè capellas.

Tityrus, vt semper, pellebat tedia cantu.

Carmina dum Veledæ memorat, dum prælia Vari:

Varus vt his olim nomen memorabile terris

Fecerit: vt sparsi legionum sanguine campi:

H 2

Aurem

*Aurem illi vellit Lycidas : Neque talia tempus
 Carmina poscit , ait : Daphnis tibi , Tityre , Daphnis
 Lugendus : Daphnin , si nescis , fata tulere.
 Tityrus ingemuit casu percussus acerbo :
 Fistula lapsa manu est : fugit sensusq; colorq;
 Ut mens , ut redijt puero vox : Occidis , inquit ,
 Carum , Daphni , caput , spes , Daphni , decusq; tuorum !
 Ab dulci patriâ procûl , amplexuq; tuorum
 Occidis ! Hoc fuerat , quòd summa culmine ville
 Tristia signa daret ferali carmine bubo ;
 Flebilibus quòd spontè modis mea nuper arundo
 (Hanc mihi tu , dederat Corydò tibi , Daphni ,) sonaret ,
 Nunc sileat , ramoq; infelix pendeat illo.
 Vos etiam sine me (quamuis mihi vos quoq; Daphnis
 Tradidit , atque abiens , Has , inquit , Tityre , pasce)
 Ite tamen sine me , quoquò lubet , ite capella.
 Amnis , & umbrose salices , & rura valete :
 Usque ego per silvas errans desertaq; solus
 Tristè querar . Gemit ereptâ sibi matre iuuenctus ,
 Nec minùs amisso mater dolet orba iuuenctio :
 Mella queruntur apes cellis subducta , peremptos
 Feta canis catulos , demtos auis arbore pullos ;
 Daphnin ego , tristi sublatum funere Daphnin .
 Supremas saltem voces morientis ab ore*

Excipere,

FE

Excip

Atque

Non

Affer

Nun

Auer

Daph

Impl

Daph

Ah g

Peru

Incu

Ne l

Ah q

Rupe

Ang

Mi

Qua

Que

Non

Nyn

Occi

Neq

Gra

Excipere, affari extremum, & spectare iacentem,
 Atque oculos illâ licuisset condere dextrâ!
 Non ea vulneribus nostris solatia nulla
 Afferret pietas: solus de Daphnide luctus
 Nunc superest. Pecudes illo quis pascat adempto,
 Auertatq; luem, curamq; impendat & artem?
 Daphnide non melior quisquam depellere venis
 Implicitam pestem, & membris agere atra venena.
 Daphnis & insidias stabulis prædasq; cauebat.
 Ah gelidas quoties hiemes perpeffus & imbres,
 Peruigil exegit brumali sidere noctem,
 Incustoditum fera ne vastaret ouile,
 Ne lac subtraherent pecori, ne vellera fures!
 Ah quoties humeris per deuia sustulit ipse
 Rupe parens nudâ quos nixa reliquerat hædos!
 Angarides Nymphæ testes, quas sæpè laborum
 Miratas dixisse ferunt: Mortalia non sunt
 Quæ tolerat: saxo certè riget ille vel ære,
 Quem neque ventorum rabies, pluuiæq; niuesq;
 Non cælum inclemens, non vlla iniuria frangit.
 Nymphæ, non saxo Daphnis neque constitit ære.
 Occidit heu! & nos pariter, terrasq; reliquit.
 Nequidquam roseum spargis iubar, auree Titan:
 Gratius extinctum nobis in Daphnide lumen.

Daphnidis aduentu tellus ridebat & æther,
 Frondebant siluæ, spirabant floribus arua,
 Ipsi lætitiâ montes plausuq; fremebant:
 Daphnidis interitu tellus lugebit & æther,
 Squalebunt siluæ, stabunt sine floribus arua,
 Intonsi montes gemitus ad sidera tollent.
 Ergò nil proauùm series, regnataq; latè
 Rura iuuant, centumq; greges, armenta q; centum,
 Nil labor, & studium pulchræ virtutis, & artes?
 Ergò cinis, formaq; carens & triste cadauer
 Nunc iacet ille omnes nuper pulcerrimus inter
 Pastores? nec sidereâ fulgentia luce
 Lumina, nec vultum, quem finxerat ipsa venustas,
 Cernere erit posthac? At non, quæ sustulit illum
 Mors, etiam famam tollet. Sint tempora Musis
 Non inimica meis, volitabis Daphni per ora.
 Ipse ego virtutesq; tuas, tuaq; inclyta facta,
 Inuictamq; fidem, & sanctæ pietatis amorem
 Ferre Syracosio tentabo ad sidera versu.
 In partem veniet Phæbo dilectus Amyntas,
 Et mecum teneris passim tua nomina fagis
 Inscribet: crescent illæ, tua nomina crescent.
 Quin etiam niueo tumulum de marmore Damon
 Exstruet, & tali signabit carmine marmor:

Hic

F
 Hic
 INT
 Ad
 Pasto
 Vina
 Et,
 Pect
 Ipse
 Hum
 Ta
 Occup

FERDINANDI FÜRSTENBERGII: 119

HIC SITVS EST DAPHNIS. QVOD ERAT MOR-

TALE, SEPVLCHRO

INTVLIT ATRA DIES: VIVET PER SÆCVLA

NOMEN.

Ad tumulum venient, instaurabuntq̄, quotannis

Pastores tibi cum donis funebria iusta.

Vina dabunt alij, purum lac adferet Ægon,

Et, Tibi, suspirans, puro magè candida lacte

Pectora, dicet, erant, & fraudis nescia, Daphni.

Ipse apium, ipse ederas, & nostris lilia spargam

Humida de lacrymis, teq̄, ad tua sacra vocabo.

Talia iactantem supremo lumine vesper

Occupat, & primo conspexit Lucifer ortu.



H 4

AD

Hic

AD
ALEXANDRVM VII.
PONT. OPT. MAX.

Anno M. DC. LV. VII. Id. Aprilis
renunciatum.

Hunc cecinisse diem, venturi præsciis aui,
Dicitur Aonias inter Apollo Deas.
Hunc fore, neglectas quo gloria tolleret artes,
Et faceret doctis vatibus ingenium.
Verba fides sequitur: rerum molitur habenas
Orbis ALEXANDER natus ad imperium.
Ac velut exactæ post tristia frigora brumæ,
Cum ver iucundum floridus annus agit,
Ridet humus, ridet Zephyris spirantibus æther
Purus, & argutæ dulcè queruntur aues:
Exultare nouo sic Principe vidimus Urbem,
Et quot regna vagus circuit Oceanus.
Vidimus excitas Parnassi monte sorores
Aurea desuetæ tendere fila lyra.
Vidimus Ausonios, genus immortale, poëtas
Præcingi sacrâ, quam meruere, comâ.

Letitiam

FERDINANDI FVRSTENBERGII. 121

*Letitiam & Pacem, miseris vix cognita terris
 Numina, quas luctus semper & horror habet,
 Ter Vaticani circum delubra volantes
 Audijmus reditus signa dedisse sui.
 Audijmus: letas voces plaususq; canentium
 Vocibus & plausu Roma secuta suo est.
 O mihi si populi sensus equare canendo
 Fas foret, & causâ digna dieq; loqui!
 O mihi si Phœbus vacuis dictaret in hortis
 Grandia Romani carmina Callimachi!
 Non ego, MAGNE PATER, celebrarem facta tuorum,
 Non fultam titulis diuitijsq; domum;
 Non maris Hetrusci portus & litora, quondam
 Hercule, nunc proavis inclyta regna tuis;
 Non belli claros studijs heroas, & altis
 Adscriptos Superum sedibus indigetes;
 Nec quæ porticibus miramur nixa superbis
 Atria, pressa Ducum Pontificumq; pede;
 Nec quas maiorum pietas caelestibus aras
 Struxit Apelleis conspicuas tabulis:
 Sed te, qui titulos tantum præcedis auitos,
 Quantum nocturnas Cynthia plena faces;
 Et tua non humili memorarem nomina cantu
 Extremas ultra solis itura vias,*

VII.

X.

Aprilis

us aui,

Deas.

artes,

enas

ium.

ume,

ther

es:

em,

tas

Letitiam

Quà leuat Eoo rutilantem gurgite currum,
 Et quà poscentes otia soluit equos.
 At non intacti mores, & quas rudis atas
 Virtutes teneris duxit ab uberibus,
 Et data Pierijs iuuenilia tempora sacris,
 Carminis, ut quondam, res foret una mei.
 Maior equis pulsanda patet nunc area nostris,
 Quà Padus obiectis aestuat aggeribus,
 Quà centum populos, centum Ferraria¹ sospes
 Debet consilijs oppida salua tuis:
 Seu circum fremerent irati Caesaris arma,
 Nec non aduersos Mantua passa Deos:
 Seu propiora mouens Venetus discrimina miles
 Verteret Hadriacas ad noua bella rates:
 Seu late grassata lues, & turpis egestas
 Inferrent miseris urbibus excidium:
 Seu Pater Eridanus campis undaret apertis,
 Deucalioneæ damna minatus aque.
 Ille idem assiduis Cygni plangoribus, idem
 Certauit mæstis Heliadum lacrymis,
 Cum patriæ fines & rectas legibus vrbes
 Linquentem ripis vidit abire suis,

Et

¹ Alexander VII. Ferrariæ Prolegatus Pontificius difficillimis temporibus belli, pestilentia, arctioris annonæ, & exundationis flum. num.

*Et Libycos tentare² sinus, ubi classibus audax
 Insula Threicias depopulatur opes,
 Europæq; suæ custos delecta inuentus
 Tutatur medijs credita claustra maris.
 Non secus Italiae Cimbro natura minanti
 Alpinas visa est opposuisse niues.
 Non secus occiduis inhiantem finibus Afrum
 Herculis obiectis meta coercet aquis.
 O quoties Melitæ fortes hortatus alumnos
 Iussisti properâ vellere signa manu!
 O quoties Solymen, Asiaq; reposcere regna,
 Sceptraq; Bistonie frangere barbaria!
 Testis Neptunus, Teihys mihi testis, & omnis
 Tritonum soboles, Nereidumq; chorus.
 Illis cura fuit partos cantare triumphos,
 Et tua cognatis facta referre Deis.
 Me decet Arctoo spumantem sanguine Rhenum
 Dicere, nec patriæ bella silere mea.
 Infelix tellus, Romanâ clade tumentis
 Arminij quondam signa secuta ducis!
 Hei mihi, nunc ducibus nihilo metioribus usa
 Scinderis in partes, & noua sacra colis.
 At magno commissa luis. Quæ flumina belli
 Nescia? quæ uè tuo terra cruore caret?*

Forsitan

² Melitæ Inquisitor.

Et

difficillimis
 fundationis

Forsitan & Diuos nondum sibi sentiet aquos,
 Et mala cūm tulerit plurima, plura feret.
 I celer, instantem capiti defende ruinam:
 I celer, & longæ vince pericla viæ.
 Non te Sicani tardent fera murmura ponti,
 Non formidatæ nauibus insidia;
 Non rigor Alpinus, non frigore saxa perenni
 Horrida, non duro flumina vinc̄ta gelu.
 Hic Vbios³ dominâ deductos Vrbe colonos,
 Et flauos vises impiger Vsiptos.
 Tum dextram tendes populis, quos Luppia nostris
 Cædibus infectâ decolor ambit aquâ,
 Et quos bellipotens olim ditione premebat
 Accola vicini Bruçterus & Amisii:
 Nunc vbi conuentu mundi cõiere vocato
 Discordes studijs consilijsq̄ Patres.
 Discordes, i, iunge animos: Europa, Deusq̄
 Imponunt humeris publica vota tuis.
 Auspicijs pax freta bonis frondentis oliuæ
 Prætendit capiti mitia ferta tuo.
 Visa quieturis demum promittere terris
 Aurea compositis secula disidijs.

Hic

³ Nuntius Pontificius Coloniam, & inde Monasterium pacis conciliandæ gratiâ missus.

⁴ Bruçteri Germaniæ populi ad Amisium fluuium. Tacitus lib. I. Ann & alibi.

Hic etiam s Veledam, quâ nec Cumæa sacerdos,
 Nec diuina fuit clarior Herophile,
 Te veniente, ferunt iterum de turre locutam
 Fatidico tales ore dedisse sonos:
 Letus ades, rerum spes & tutela mearum,
 Sospite quo nobis vita salusq; redit.
 Letus ades, cætus nec dedigneris amicos,
 Et mea securo visere regna pede.
 Non iterum clades 6 animo versamus, & iras,
 Armaq; Quintilios vincere docta tuos.
 Qualis ad Assyrias immani funere Carras
 Romanus Partho fusus ab hoste iacet.
 Nulla salus bello, pacem deposcimus omnes:
 Pax veniat populis sæpè vocata meis.
 Sed, nisi me Phæbi ludunt oracula, quondam
 Quæ cecinit nostro conscius ore Deus,
 Pax erit: at sacris tam detestanda Latinis,
 Quàm malè mercatâ pax coitura fide.

Non

5 Statius lib. 1. Silu. in Soter. pro Rutilio Gallico:

Non vacat Arctoas acies, Rhenumque rebellem,
 Captiuæque preces Veledæ, &c.

Ea virgo nationis Bructeræ latè imperitabat, quam coràm adire
 alloqui que negatum. Arcebantur aspectu, quò venerationis plus
 inesset. Ipsa editâ in turre: dilectus è propinquis consulta respon-
 saque, vt internuntius numinis, portabat. Tacitus Histor. lib. 4.

6 Clades Variana pænè exitiabilis, tribus legionibus, cum duce,
 legatisque, & auxilijs omnibus, cæsis. Sueton. in Octau. cap. 23.
 Quâ nulla post Crassi in Parthis damnus, in externis gentibus,
 grauior Romanis fuit. Pater. Hist. lib. 2.

Non ideò curasq; tuas vigilesq; labores
 Excipient meritis fata sinistra tuis.
 Purpura virtutis pretium tibi cedit, & inde
 Quo nihil hæc maius, quod tibi donet, habet.
 Scilicet & terris, caloq;, Ereboq; verendum
 Te solio accipiet maxima Roma suo.
 Tum pia laturus sacratis oscula plantis
 Orbis adoratos procidet ante pedes.
 Tum Septem imperio quæ nunc CHRISTINA triones
 Frenat, & Arctoas ducit in arma manus,
 Adueniet supplex, & Vaticana tenentem
 Regna colet prono deuenerata genu.
 Tum consanguinei longo post tempore Reges
 Arbitrio ponent impia bella tuo.
 Et pacti stabilem iurato fœdere pacem
 Damnabunt pugnas, & graue Martis opus.
 Aruaq; leta Ceres, & pleno Copia cornu
 Dona ferens, niueis oppida viset equis.
 Mox ubi iam fessas recrearint debita gentes
 Otia, signa dabunt ad sacra bella tubæ.
 Bella recrudescant Naupacti, & barbara Thracum
 Gaza per Ionias sparsa natabit aquas.
 Quas ego nunc acies video! quos æquora remos
 Verrere! quàm latis vela tumere Notis!

Quantus

*Quantus adest sudor populis! quot in arma volentes
Creta viros totâ concitat Italiâ!*

Vt Solyme poscit reduces in praelia Gallos!

Vt tremit Austriacas pallidus Ister opes!

An te etiam 7 auspicijs tollentem signa secundis,

MAGNE PATER, toto cernimus ire mari?

Impiaq; Odrysiae contundere cornua Lunæ,

Victoremq; sequi, quâ præt arma, Deum?

Sit satis armatas in praelia mittere classes:

Bella gerant alij: tu prece bella iuua.

Consilijs opibusq; iuua, Zephyrosq; fauentes

Sollicita, & faciles ad pia cæpta Deos.

Sic per te victo Reges Oriente superbi

Threicijs statuent parta tropæa iugis.

Et Vaticanas Victoria figet ad aras

Dereptas Scythicis postibus exuuias.

Tunc aliquis vates, procerum de stirpe meorum,

Cantabit famæ tot monumenta tue.

Bellaq; signabit titulis: HÆC THRACE SVBACTO

VICTOR ALEXANDER RETTVLIT ARMA DEO.

Sic cecinit: partem, vates ne vana putetur,

Lapsa dedit, partem serior hora dabit.

AD

7 *Philemathis Musa iuueniles pœmate 83.*

Huc ego, seu sit opus Neptuni fluctibus, altâ

Puppe sedens; seu terrestri certare duello,

Vectus equo veniam.

AD IMP. CÆS.
 FERDINANDVM III.
 AVG.

Cùm eius auspicijs, & munificentia
 Athanasius Kircherus OEdipum Hiero-
 glyphicum ederet.

Non genus Austriadum demissum à sanguine
 Diuum,

*Non clausum mundi finibus imperium,
 Non victos dicam populos, vrbesq; receptas,
 Nec Boreæ fractas sæpè furentis opes.
 Hæc memorent, quorum sublimi Musa cothurno
 Surgit, & herois concinit arma modis.
 Me mea Musa vetat tantarum pondera rerum
 Tangere: me, quæ sint viribus æqua, iuuant.
 Me studia & placida sibi poscunt Cæsaris artes:
 Materies numeris conuenit ista meis.
 Vates ille pios, & vatum dona piorum
 Excipit, & vatum carmine digna gerit.
 Quâ sceptrum gestat, quâ ius & regna tuetur,
 Hac etiam Musas protegit ille manu.*

Nec

Nec minor¹ Augusto, cuius successit habenis,
 Fundat Apollineis publica templa sacris.
 Ardua Cecropiæ quis nescit fana Mineruæ
 Condita, & Aonio tecta sacrata Deo?
 Miratur moles² Viadrus, miratur & Ister,
 In numerum pulsus & sibi plaudit aquis.
 At quæ Cæsareo fulgentia limina sumtu
 Praga videt, certant Delphice Phæbe tuis.
 Qualis & armatas, post impia bella Gigantum,
 Exiit infesto Iuppiter igne manus:
 Qualis & Herculeis cum iam ceruicibus axem
 Credidit, excusso pondere cessat Atlas:
 Terrarum dominas sic fessus Cæsar habenas
 Laxat, & imperij grande reponit onus.
 Tum vires, Natura, tuas, ac semina rerum
 Scrutatur docto sedulus ingenio:
 Quis tremor attonitas vertat cum ciuibus vrbes:
 Impellat refluxas quis maris æstus aquas:
 Quæ vis diuitias imâ tellure repostas,
 Donaq; gemmiferi procreet Oceani:
 Quàm procùl Arctoo concretus frigore Pontus
 Deprensus Nili distet originibus:

I

Quàm

¹ Augustus templum Apollinis in Palatio extruxit, additâ porticu cum bibliothecâ Latinâ Græcâque. Suet. in Octav. cap. 29.

² Viadrus Germaniæ fluvius, vulgò Odera.

Nec

Quàm procùl Hesperijs diuisum Gadibus Indum
 Hauriat 3 Eoi, quæ rubet, vnda freti:
 Vnde ea vis ventis: vnde ardens Aetna fauillas
 Semper, & exesi viscera montis alat:
 Vnde Amphitrites salsus liquor: vnde teporem
 Ducat Baiana vena salubris aqua.
 Has vbi natura partes accessit, in altum
 Fertur ad etherie lucida signa domus.
 Hic illi geminam virgo Marathoniam Libram,
 Et sua vicinus subiicit astra Leo.
 Armatusq; auro gladium præterendit Orion
 Debita Cæsarea præmia militiæ.
 Hic Solis vestigat iter, causasq; latentes,
 Pallida cur fuscis Luna laboret equis:
 Cur sitiant Afri: cur Septem regna trionum
 Vrat Hyperboreo frigore iugis hyems:
 Cur fugiant umbræ, Cancro torrente, Syenen:
 Cur variet maior meta minorve diem.

3 Latiùs olim Rubrum mare patuit, & paullò aliter, quàm vt vul-
 gò hodie, appellatum. Nam in Taciti & aliorum veterum verbis, in
 hoc nomen venit mare Indicum, vastum illud & magnum, quod ab
 extremo sinu Arabico, siue ab Africâ eâ, in Auream Ptolomæi
 Chersonesum se protendit. Itaque Pomponius Mela duos finus in
 mari Rubro agnoscit, Arabicum & Persicum. Lips. de magn. Rom.
 lib. I. cap. 3.

Sed quota doctrinae pars est laudumq; tuarum,

Austriade, magni sidera nosse poli?

Et circumfuso porrectas aequore terras,

Qua Sol Eoos lustrat & Hesperios?

Se tibi Niliacis etiam sapientia chartis

Eruta, & arcanas explicat historias.

Nec te sacra latent adytis seclusa verendis,

Nec lapides, sculptae marmoribusq; ferae.

Scilicet Aegyptus doctrinam credere saxis

Orsa, peregrinas finxerat effigies,

ut solis arcana Deum mens cognita mystis

Falleret abstrusis vulgus imaginibus,

Seraq; posteritas sensim labentibus annis

Non caperet priscae moris & artis opus.

O vanas hominum curas! O caeca futuri

Pectora! Mars ultor nil finit esse diu.

Barbarus Armenij laceravit potor¹ Araxis

Omnia, Niliacos depopulatus agros.

Tot moles, regum tumulos, tot stantia vertit

Culmina, regali suspicienda situ.

Et potuit fugiens, armis cessantibus, etas

Servatas etiam vertere reliquias.

I 2

At

¹ Cambyles Persarum Rex Aegyptum foedissimè vastavit.

At non æternos olim subducet honores
Longa dies meritis, inclyta Roma, tuis.
Tu Pelusiacum spirantia rudera fastum
Colligis, & medio tollis ad astra foro.
Nec tua venturis, Cæsar, delebitur annis
Fama, nec ingenium nox premet atra tuum.
Te duce, quis credat? post tot iam secula scimus
Arcani quidquid Memphis & Isis habet.
Quid velit Inachia facies ignota Iuuenta,
Quid Canis, & sacri mystica forma Bouis,
Et quæ prætereà famosus monstra Canopus
Prodidit, antiquis conspicienda notis.
Teq; adeò titulosq; tuos leget accola Nili,
Et referet laudes ad sua sistra tuas,
Iam Solyme, iam discet Arabs, iam clara loquentium
Marmora Cæsareâ munera sparsa manu.
Fallor? an Austriacis addent quoque fata tropæis
Sacra Paratonij signa reuulsa tholis?
An, FERNANDE, tuum iam nunc Victoria nomen
Leta parat saxis scribere Pyramidum?
Gloria Pellæis certè vocat emula palmis
Europæ resides ad pia bella manus.

AD

A D
PHILOMATHEN.

Nequicquam Musarum iuuenilium
auctorem regi.

Qualis, ubi Pharios exurit Sirius agros,
Frugibus optatâ Nilus inundat aquâ,
Et super arentes fuso natat equore glebas,
Et riguam letis messibus ornat humum;
At longè positis idem cunabula terris
Et caput ignotis celat originibus;
Talis Mæonio quæ certent carmina vati
Fundis, & ut magno Pindarus ore, ruis:
Et Latium sermone beas, & diuite venâ
Fecundas, Vatum Maxime, Castaliam.
At cur Perrhæbi benè cognitus incola Pindi,
Cor Charitum, nostri spesq; decusq; chori,
Cur latitas, & lene sacræ caput oculis vndæ,
Quo veniunt Clario pocula digna Deo?
Cur tegis ambiguâ IUVENILIS imagine MVSÆ
Ingenij cultum diuitiasq; tui?
Cur dubitas proprio dignari nomine fetum?
Cur dubitas fame pandere vela tuæ?

Nequicquã, VIR MAGNE, lates: te nostra loquentum
Tempora, te vatem secla futura canent.
Admirata tuos Siren Acheloia cantus
Audijt, auditis cedere fassa suos.
Cùm Phaëthontæ canerent tua carmina Nympha,
Suspensò Cycnus plausit ab Eridano.
Constitit auratâ captus testudine Tybris,
Et iussit fluctus lentius ire suos.
Sepè tuos avidis Rhenus pater auribus hausit,
Sepè Mosella tuos, & piger Alpha modos.
Nequicquam, VIR MAGNE, lates: te fama latentem
Prodit, & Eois monstrat & Hesperijs.
Nec sinit indictum pietas, animusq; periclis
Altior, & pacis, quem profiteris, amor.
Sichemios colles, & collibus addita testor
Templa coronato suspicienda tholo.
Vos Vbiq; testes, testis Mimigarda laborum,
Et septem geminis Roma superba iugis.
Eripe nunc ergò tenebris caput, eripe nocti,
Et larvam fictis detrahe nominibus.
Si minùs occultum Scyros celavit Achillem,
Agnitus Æolide si fuit ille dolo:
Si, qui regna tenet latè Parnassia, Phæbum
Ora latere vetant, & coma digna Deo:

Si, licet obscurâ celatus nocte, pyropus
Natiuo rutilum prouocat igne diem:
An poterit diffusa tuæ lux aurea Musæ,
An poterunt gentis signa latere tuæ?
Sidera scintillant, sublimi vertice Quercus
Eminet, & senis Mons subit astra iugis.
Sed pudor, & castæ diuina modestia frontis
Nobilior Tyriis purpura muricibus,
Vatis Apollinei titulos, nomenq; recusat,
Phæbeaq; vetat tempora fronde tegi.
Nec te grande sophos, nec famæ cura moratur,
Nec fuco roseas gloria picta genas.
Virtuti satis est cælo se teste probari,
Et sese famæ notitiæq; negat.
Vt neget, inuitam curru sectatur eburno,
Et circumfuso lumine vestit Honor.
Sic radiant puro seruata corallia vitro,
Sic lucent calathis lilia virgineis.
Sic adamas fundo mersus pellucet in imo,
Sic micat auriferi diues arena Tagi.

AVGVSTINI CHISII,

in porticu supra Tiberim pensili,

LEONI X. PONT. MAX. & com-
pluribus Cardinalibus datum.

L Audarunt alij conuiuia ditis Elise,
Et Luculleas, Alcinoi^q, dapes,
Et quas Romano cœnas Cleopatra marito
Instruxit Pharijs perdita delicijs:
At mea sollemnes epulas, & Regibus æquas,
AVGVSTINE, tuas Musa loquatur opes.
Stat super impendens Tiberinæ porticus vnda
CHISIA, diuitijs nobilis Attalicis;
Hospite nobilior, vultu dignata LEONIS,
Quò posuit curas urbis, & orbis onus.
Hec quoque purpureos aurato limine Patres
Accepit, totidem ceu Iouis aula Deos.
Quæ mensis tum dona Ceres, quæ dona Lyæus
Intulit, & largo Copia læta sinus!
Vix tulit ipsa suum genialis mensa paratum.
Et pretij quota pars ipse Lyæus erat?
Fulgebant auro, fulgebant pocula signis,
Fulgebant rutilis aspera chrysolithis.

Pascebant

FERDINANDI FÜRSTENBERGII.

Pascebant oculos perfecta toreumata celo,

Aut Myos, aut dignus Mentoris arte labor.

Ipsa penus populo poterat satis una videri:

Hic poterat genio quisque litare suo.

Sic, ubi prostratos celebrarunt vina Gigantes,

Semideis licuit poscere vina Iouem.

Res noua: calatas ceperunt retia lances,

Et Polycletæâ vasa superba manu.

Miratur Tiberis proiectas flumine gazas,

Et quas nec Ganges, nec vehit Hermus opes.

Innocuam pisces escam mirantur in undis,

Mirantur nullo retia tensa dolo.

Retia nulla suis, nec quæ Nero texuit auro,

Premia captarunt diuitiora plagis.

Scilicet argenti quidquid Tiberinus & auri

Ceperat, hæc domino restituere suo.

I nunc, & Crassum memora Romana vetustas,

In Parthos auri quem sacer egit amor.

Seruiit ille opibus: laudato CHISIVS vsq̃

Effusæ dominum se probat esse rei.

A D

A V G V S T I N V M
F A V O R I T V M.

De morte Natalis Rondinini S. D. N.
ALEXANDRO VII. Pont. Opt. Max.
ab Epistolis ad Principes.

Non ita Lampetie casu Phaëthontis acerbo
Fleuit, & ambusto Cygnus in amne Padis,
Non ita Pelides, mediâ cum vidit arenâ
Actoriden sparsis cade iacere comis;
Tros Anchisiades non sic Pallante peremto,
Nec Theseus cari funere Pirithoi,
Ut mihi mœsta pio tabescunt lumina fletu,
Imag̃, perpetuos pectora dant gemitus,
Dum desiderio mentem perfixus inani,
NATALIS mutos conqueror ad cineres.
Crudeles Diuos, crudeliaq̃ astra vocanti
Nulla venit misero nocte diève quies,
Nec magis, heu, lacrymis saturatur luctus amaris,
Quàm matutino rore perustus ager.
Si fugit interdum, vagus ut Meander, in orbem
Mox redit, & sese decipit ipse dolor:

Notaq̃

Notaq̄ dilecti passim NATALIS imago
Occurrit madidis obuia luminibus,
Dulcè loqui fido, velut antè solebat, amico,
Brachiaq̄ & caras tendere visa manus.
Sine etenim ripam Tiberini propter amœnam
Cernere veliuolas, quas vehit vnda, rates,
Et septem geminis latè spectare iacentes
Collibus antiquæ me iuuat Urbis opes,
Pyramidasq̄ nouo ductas ad sidera sumtu,
Et Vaticano templa superba tholo:
Sive suburbanas Latij peragrarè ruinas
Mite iubet sancti Principis imperium,
Albanumq̄ lacum, dilectaq̄ rura Mineruæ
Posthabitis Romæ visere deliciis,
Montis vbi quondam per viscera ductus aperti
Fatalis Veijs irrigat arua liquor:
Semper amarities, semper dolor hæret eunti,
Et cruciat miris anxia corda modis.
Nec vetus Alba grauem potis est mihi demere curam,
Vmbra nec æstiuis Tuscula frigoribus;
Nec nemus Egeriæ, Scythica nec regna Dianæ,
Nec lacus occulti conscius Hippolyti.
Téne malâ, iuuenum castissime, fraude nouerca
Distractum rapidis membra cruenta rotis,

Téne

Notaq̄

*Tene Coronides medijs è faucibus Orci
 Ereptum Triuia restituisse Dea,
 Et letos oculos, roseumq; potentibus herbis
 Os valuit, nitidas & reparare comas?
 At miserum, ut primæ NATALIS flore iuuenta
 Occidit indigno flebilis interitu,
 Non pietas, non sancta fides, non Pallas, & omnis
 Aonidum tanto cultus amore chorus,
 Ipse nec ætherias reuocare ad luminis auras
 Sustinuit medica Cynthius auctor opis?
 I nunc, & demens animos attolle superbos,
 Et Zephyro plenos finge tumere sinus.
 Finge miser titulos, & grandia munera rerum,
 Et spera Pylj tempora longa senis.
 En iacet exigua iuuenis compostus in urna,
 Promeritus cæptis omnia fausta suis.
 Nam quid ALEXANDRI meritis fauor, aut quid ho-
 norum
 Spes, & fraternâ fœdera iuncta fide?
 Quid præclara domus, genitrix aut profuit illi
 Optima, Castalias inter habenda Deas?
 Leta quid aspirans rebus fortuna secundis,
 Et plausus totâ maximus Ausoniâ?
 Scilicet exorare nefas est fata, nec ulli
 Parcarum licuit frangere duritiem.*

Non

FERDINANDI FVRSTENBERGII. 141

Non tamen Heroum manes inferna cœercent
Flumina, nec Stygij pallida regna Iouis.
Ætherias illos virtus sublimis ad arces
Euehit, & campis consecrat Elysiis.
Hic, hic NATALI domus est: hinc arduus imas
Sub pedibus terras despicit & maria;
Miraturq; nouos orbis, conuexaq; mundi
Mœnia, & innumeras, splendida signa, faces.
At licet huic longos Libitina inuiderit annos,
Dum meritis implet Solis utramq; domum;
Ne tamen vlla queat nomen delere vetustas,
Prouisum Clario gratulor esse Deo.
Dum terras atque omne sibi deuinciet euum,
Curaq; ALEXANDER posteritatis erit;
Dum pius in Venetos animus studiumq; canetur,
Classis & Ægea Thracia victa mari;
Dum referetur amor, quo tristia bella Tyranni
Ardet in excidium vertere Bistoni,
Quo res Sarmatiae, viduataq; Cesare regna
Curat, & impositos Alpibus Heluetios,
NATALI constabit honos, viuaxq; manebit
Doctrina, & Suadae nomen, & ingenij.
Semper ALEXANDRI, sacra per vestigia, laudes
Ponè sequens, ibit clara per ora virum.

Non

To

Tu quoque Pieridum decus, AVGVSTINE, sororum,
 Quo Latium, & tumidis Macra superbit aquis,
 Ingenuos mores, & vitam puriter actam,
 Cordaq; non vllis tacta cupidinibus,
 Virtutesq; alias cari memorabis amici
 Carmine, quod possit nulla abolere dies.
 Nam neque signa tuæ spirantia marmore Lune,
 Nec Polycletæâ nobilis arte labor,
 Longiùs extendant famam NATALIS in ævum,
 Quàm tua Mæonia proxima Musa tubæ.
 At mihi, cui tantum non concessere Camænae,
 Vt canerem paribus grandia facta modis,
 Sat fuerit gelidis extrema dedisse labellis
 Oscula, & exangues imbre rigasse genas.
 Sat fugientem animam fato legisse supremo,
 Et clausisse piâ lumina cara manu.
 Sat tumulum lauri folijs ornare quotannis,
 Et cineri multâ solvere iusta prece.

AD

A D

IACOBVM VVALLIVM

de morte SIDRONII HOSSCHII.

E *Tsi me, VValli, patrijs excedere terris,*
Et procùl Angariae collibus ire mea,
Et maris insuetas ansum dare vela per undas,
Ardentesq; graui sole secare vias,
Lydius Hesperidum Tibris regnator aquarum
Et septem geminis Vrbs tenet alta iugis,
Alpinaeq; niues, ac nubifer Apenninus,
Et pia Tyrrhena vota morantur aquae,
Vt nequeam Tungros, & pulchrum visere Mosam,
Et praesens maesto soluere iusta rogo,
Et terrae tumulo componere vatis amici
Relliquias nostris irriguas lacrymis:
Non tamen extinctum miseris urgere querelis,
Iustaq; quae fas est, reddere cessat amor.
Nunc firmata subit studiis concordia nostris,
Et desiderijs inuida fata meis.
Nunc mandata lego, quae te mihi scribere iussit,
Et moriens linguam deficiente dabat.
Quin etiam violis, & lauri frondibus urnam
Halantem fictis ponimus exuujs.

His

AD

His etiam flores, vitæ monumenta fugacis,
 Addimus, albenti lilia mista rosâ.
 At circum Latij, doctissima turba, Poëta
 Aoniâ feriunt carmina mæsta lyrâ.
 Quos præit ereptum lugens Elegèia vatem,
 Sæcula cui nullum nostra tulere parem,
 Postera vix sperent; quo vindice desijt esse,
 Quod fuerat, Paphiæ lena comesq; Deæ.
 Illa igitur squallet, quo nos, confecta dolore,
 Et queritur nostris saucia vulneribus.
 Ipse etiam fletu tumultum dignatur inanem
 CHISIVS Ausonia gloria prima togæ.
 Et gemitu manes ciet, & Permesside lymphâ
 Spargit flebilibus marmora scripta notis.
 HOC MERUIT IVSTI MONVMENTVM BELGÆ
 DOLORIS,
 PROXIMVS INGENIO, CVLTE TIBVLLE, TVO.
 Interea curis liber mortalibus errat
 HOSSCHIVS, Elysium quâ facit umbra nemus;
 Quâ Zephyri blandis assibilat aura susurris,
 Et viret intonsis laurea silua comis;
 Quâ saliant vitrei per amœna rosaria fontes,
 Et præbet faciles florida ripa toros.
 Illic diuinos inter considerare vates
 Gestit, & Heroum proximus ire choris,

*Et modo cantatos suspirat Numinis ignes ,
 Virginis & grato carmine laudat opem.
 Et modo tot vite , quibus ut mare voluimus , æstus
 Gaudet inoffensâ se superasse viâ.
 Et modo commendat faciles miserescere Diuos ,
 Dum Petri lacrymis miscuit ipse suas.
 Denique quæ vouit Leopoldo plurima , votis
 Exorat meliùs prosequiturq; suis.
 Illinc , si nostri tangit te cura , nec omnis
 Excidit oblito pectore suetus amor ,
 Aspice perpetuis lacrymarum turgida riuis
 Lumina , & exequias , docte Poëta , tuas.
 Aspice ut immensum tua gloria lata per orbem
 Transuolet Eoas , Hesperiasque domos :
 Ut malè neglectas , monumenta perennia , Musas
 Vallius indignis vindicet à tenebris ;
 Vallius Aonidum post te non parua sororum
 Cura , tibi quondam , nunc mihi primus amor.
 Quàm pius ille manu fugientes clausit ocellos ,
 Et summis animam legit anhelitibus !
 Quàm pius æternis mandat tua nomina chartis ,
 Et damnat lacrymis impia fata suis !
 Scilicet ereptum sic tristis Naso Tibullum
 Luxit , & Orphæam Calliopeia necem.*

K

ALE-

ALEXANDRO VII
PONT. OPT. MAX.

Villam Barberinam, Domitiani olim
Cæsaris Albanum, vbi quotannis Quin-
quatria fiebant Mineruæ, animi causâ
inuisenti anno M. DC. LVII. Idib.
Maij.

Hic vbi porticibus se Flavia villa superbis
Equabat summis ardua sideribus,
Et nemus hinc, Scythica non mitia regna Diana,
Illinc Tyrrhenas prospiciebat aquas,
Sollemnes olim ludos, & sacra Minervæ
Quinque fuit inuictos mos celebrare dies.
Quare amat hos colles etiam nunc Diana, lacusq;
Plurima quos glaucâ vestit olivâ comâ.
Atque adeo presens Alba cum proxima imper
Vidit ALEXANDRVM per iuga ferre pedem:
Latus ades, dixit, nostrosq; immise recessus,
Terrarum custos maxime: latus ades.
Hic positâ regni tantisper mole licebit
Otia prolatis dulcia rebus agas.

Quando

*Quando dira lues, & frugum tristis egestas,
Auspice te, Latios pulsa reliquit agros.
Mox instaurato mens corpore firmior, altas
Imperij curas, & geret orbis onus.
Interea dignam seruato ciue coronam*

CHISIACIS Dryades texite de folijs.

*Alma Ceres, spicas; date laureaserta merenti,
Aonides: parta mox mea pace feret.*

A D

IOANNEM ROTGERVM
TORCKI VM

Præpositum Mindensem, & Canonicum
Paderbornensem ac Monasteriensem.
De Æneæ statuâ, LAURENTII BER-
NINI opere, in hortis Burghesijs ex-
tra portam Collinam.

TORCKI noster amor, doctarum prima Sororum
Gloria, spes patriæ magna decusq; tuæ,
Asspice BERNINI docto spirantia celo
Marmora, Phidiaco par opus ingenio.
Asspice Troingenam curuâ ceruice ferentem
Et patrem, & profugos, sacra paterna, Deos.

*Has pius Aeneas paruo comitatus Iulo
 Subtrahit incensæ reliquias patriæ.
 Quis dolor è muto ducit suspiria saxo?
 Qualis in inflexo vertice regnat amor!
 Vt lapis ipse sua presagus fata Creusæ
 Sentit, & impositum ferre laborat onus!
 Et trahit Ascanium flentem! comes ille paterne
 Non potis est equis passibus ire fugæ.
 Vt miserans captæ fumantia mœnia Troiæ
 Effigies tantis ingemit agra malis!
 At ne BERNINVS vocem daret arte querelis,
 Obstitit infandus, qui premit ora, dolor.*

ALEXANDRO POLLINO
 donum natalitium.

Mentoreos alij donent, POLLINE, labores:
 Natali nostro pyxida munus habe.
 Forma pyrum simulat: circum violæq; colores,
 Albæq; purpureis mista ligustra rosis.
 Aspicias & varijs ut aranea floribus audax
 Incubat, & fatuus papilionis amor.
 Nec tamen inclusam potis est libare medullam,
 Et qui sub fuluo spirat odor calyce.

Namq;

*Namq̄, ibi odorifero sudantia balsama ligno,
 Dulces Aurora diuitis exuias,
 Et Cilicum messes, & quæ Titanius ales
 Cinnama, & extremus munera legit Arabs,
 Et nardi felicitas opes, & pinguis amomi,
 Composuit miro Pæonis ars studio.
 Sic operi contendit odor: cui præstat utrique,
 Qui natalitium dat tibi munus, amor.*

DE CORVO,

Bartoldi Nihusij discipulo mortuo.

Occidit heu Coruus Batauis celeberrimus oris,
 Bartoldi longo tempore discipulus.
*Nec domino veniente, ἤνευ νόεων & ἠνευ δὲ νόων,
 Increpitat Graio garrulus eloquio.
 Vox filet, ac lepide cessant conuitia linguæ,
 Nulla quibus sese composuisset auis.
 Non Agrippinæ turdus, non sturnus amores
 Cesaris, humanos doctus uterq̄ sonos;
 Nec Coruus populi plausu gemituq̄ Latini
 Nobilis, & ducti funeris exequijs.
 At rumpare licet Clotho, quæ fila volucrum,
 Mæonidæ si fas credere, dura secas,*

*Carmine viuet adhuc, qualis Melioris alumnus
 Psittacus, & Teij fida columba senis.
 Qualis & exusto celebrata Ciconia nido
 In Batauis pullos morte secuta suos.
 Ut meruit, vos ergò rosâ Permesside Musæ
 Compositum molli condite funus humo:
 Et notum tumulo carmen superaddite: SI QVEM
 NON HODIE, CRAS, CRAS AVFERET ATRA
 DIES.*

ALEXANDRO VII.
 PONT. OPT. MAX.

Tertium Pontificatus annum feliciter
 auspicanti.

Læta dies redijt, qua te Rex ætheris alti,
 SANCTE PATER, magnum misit in imperium:
 Et terris dum pulsa lues, tibi tertius annus
 Illuxit faustis candidus auspicijs.
 Prima fames Latium, te principe, liquit, & Urbem
 Externis pavit frugibus alma Ceres.
 Iam nunc Adriacis classis tua iuncta carinis
 Hellepontiacæ claustra refringet aqua.
 Intereâ sacras voti rea fundit ad aras
 Ingenuo tales pectore Roma preces:

FERDINANDI FVRSTENBERGII. 151

*De nostris, PATER ALME, tibi Deus augeat annos,
Si seruata tuo munere vita mea est.*

IN EIVSDEM EFFIGIEM

marmoream, opus Laurentij Bernini

Equitis & sculptoris egregij.

Spirat ALEXANDRI viuus de marmore vultus,
Nullus adhuc potuit quem simulare color.

*Par animo siquidem facies pigmenta recusat,
Et melius niueum marmor utrumq; refert.*

A D E V M D E M,

De ædibus Pontificijs ad Lacum Al-
banum tactis fulmine III. Id.

Octob. M. DC. LVII.

NE mirare manu Cyclopea tela rubenti
In tua, MAGNE PARENS, tecta vibrare
Iouem.

*Indignatur enim Latio, te Principe, demum
Aurea Saturni secla redire senis.*

DE BIBLIOTHECA VRBINATE,

ALEXANDRI VII. Pont. Max. liberalitate, Vaticanæ donatâ.

R Egifico quondam sumtu, studioq; parata
 Feltriadum celebris bibliotheca Ducum,
 Vaticana tuas, huc longè iussa venire

MAXIMI ALEXANDRI munere, acervat opes.
 Nobilior poterat nec muneris auctor haberi,
 Nec munus poni nobiliore loco.

IN CAROLI I. magnæ Britanniaë Regis,

An. M. DC. XLVIII. v. Id. Febr.

Londini capite plexi, necem.

C Erne lupæ geminos pendentes ubere natos:
 Romulus hic Romæ est conditor, ille Remus.
 Inde Caledoniæ præbentem colla securi

Indigno CAROLVM respice supplicio;
 Et genus acre lupos terræ dic deesse¹ Britannæ:
 Senior est ipsis terra Britannia lupis.

¹ In Angliâ lupi nulli, assiduis venationibus stirpitus excisi.
 Poët. lib. I.

FERDINANDI FVRSTENBERGII. 153

I N

BERNARDVM FVLGOSIVM,

Medicum & Poëtam malum.

Cvm tua, Fulgosi, tellus errata medentis
Celet, & aggestâ funera condat humo;
Que nunc tanta animum cepit dementia, luci
Vt mala committi carmina discupas?

I N S. D. N. ALEXANDRI VII.

AVSPICATISSIMVM NATALEM,

Hendecasyllabi iam olim scripti.

Ingens gloria purpure Latine,
Phæbi delictum, medulla Suade,
Sacrorum Cynosura certa vaturn,
Pauillum, magne FABI, graues labores

Alti pectoris, arduæque Romæ

Fultum consilij remitte pondus,

Et nostris solito fauore Musis

Aspira facilem secundus auram,

Dum natalitias sacrare cantu

Idus Hendecasyllabi laborant.

Quos duros licet, ac parum politos

Leui pumice, dædalaq; limâ,

Vt blando tamen in sinu receptos

K 5

Illu

I N

Illâ fronte legas, precamur, illâ,
 Quâ Septem iuga, purpuramq; Romæ,
 Et curas Latij Patris serenas,
 Et nostri rapis ingenI calorem.

Vestris nunc opus est choris, venite
 Suaves Latitiæ, venite Plausus,
 Cantus, Gaudia, Gratia, Camæna.
 Festivo Genium vocate ludo,
 Et fertis, & odoribus Sabæis;
 Et natalitijs adeste sacris
 Faustis ominibus, bonisq; verbis.
 Sollemnem Februarij reduxit
 Quinquagesima sexta bruma lucem:
 Natales FABII canamus Idus.
 Idus tot maris Indici lapillis
 Signandas, quot hiems creat pruinas,
 Quot ver purpureum per arua flores;
 Quot votis celebravit, & coronis
 Natalem Venusina Musa lucem
 Mæcenatis agens, Aprilis Idus;
 Quot votis cumulavit, & coronis
 Idus, Mercurij diem, vetustas
 Maio sidere, nobilesq; partu
 Octobres coluit Maronis Idus.

Ergo

FERDINANDI FVRSTENBERGII. 155

*Ergò cùm superas beatus infans
 Natus Chisiades, futurus Heros,
 Blando murmure personaret auras,
 Vagitus tener, ac rudes querela
 Commissa Zephyris, procùl remotas
 Parnassi geminis nouem Camœnas
 Exciuere iugis, Claroq; Phœbum,
 Et Pandionis arcibus Mineruam.
 Illæ Pegaseos repentè fontes
 Liquerunt, & Hyanthias cauernas,
 Et Pindi virides tulere lauros,
 Et molles violas, rosaq; florem,
 Paruis munera delicata cunis.
 Princeps Calliope labella primùm
 Permulsit tribus osculis puelli,
 Et vatum simul entheos furores
 Afflauit, tenerosq; fronde crines
 Cinxit Daphnide, Bacchicisq; sertis,
 Nostris Orphea gratulata terris
 Dono Calituum nouo renatum.
 Hinc fati quoque consciæ sorores
 Arrisere Dea, lyramq; Pean
 Donauit puero; puer iocosus
 Arreptas digito fides procaci*

Ergò

Prensauit,

Prensauit, fidium daturus omen,
 Vt quondam dedit Hercules tenellus
 Omen roboris anguibus peremtis.
 Tunc amplexa tenacibus lacertis
 Mellitum stupet undecumque Pallas
 Infantem, cerebrumq; mollicellum
 Implet numinis, ac suas oliuas
 Pacis premia subligat corymbis.
 Adsunt, & comitum trahunt cateruas,
 Linquentes Ciceronis auiterni
 Pictum veris honoribus sepulcrum,
 (Quo fixere domum) diserta Pitho,
 Facundus Lepor, aureumq; nodum,
 Segnes soluere Gratiae sodales,
 Iucundiq; Sales, & elegantes
 Doctarum facies Facietiarum.
 Quae postquam niueam ligustra nubem
 Fuderunt beneolentibus canistris,
 Et felicibus irrigata succis
 Sacri nectaris ora miscuerunt:
 Quales Cecropij Platonis olim,
 Quales gutture Pindari canoro,
 Quales Ambrosiis apes labellis,
 Matres ambrosiae leues crearunt:

Dilectis

*Dilectis etiam redux ab astris
 Virtus remige venit vsa cycno,
 Que faustos simul augurata soles,
 Et primo similes dies metallo
 Promisit puero, faces honesti
 Admouit, niuibusq; concolorem
 Puris moribus indidit nitorem.*

*Quin & sidereus Pudor modesta
 Viuo murice temperauit ora,
 Et castos Amor innocens ocellos
 Accendit radijs ab axe raptis,
 Et Clementia nubibus remotis
 Frontem finxit amabilem videri.
 At custos animum fidelis omnem
 Munit Relligio timore Diuum;
 Et contra mala, liuidamq; sortem
 Constans egide Fortitudo pectus.*

*Tali Chisiacas honore cunas
 Dignatos Superum choros frequentum
 Actutum varie via reportant.
 Virtutes patrium petunt Olympum,
 Et qua se tennes leuant per auras,
 Aure deciduis pluunt ligustris,
 Narcissisq;, rosisq;, lilijsq;.*

Cyrrham

Cyrrham Pierides, Claron reuifit
 Musarum pater, Atticas Athenas
 Pallas, Suada suam diferta sedem.
 Gratantur redeuntibus Napææ,
 Occurrunt Dryades, leuesq; Fauni.
 Tellus luteolas benigna calthas
 Submittit, violasq; amaracosq;
 Mitescit positis furor procellis
 Tyrrheni maris: Africis fugatis,
 In regnum lepida Fauoniorum
 Succedunt animæ beatiorum,
 Et solæ dominantur axe toto.

Lætas intereâ virere ripas
 Vernis floribus, ac rosis caducis
 Spargi flumina, leniterq; motas
 Admiratus aquas tepere blandis
 Aurarum Zephyritidum susurris,
 Vmbro¹ & populeâ caput coronâ
 Vmbratum placidis leuauit undis.
 Quando suppositâ reclinis urnâ,
 Muscosum latus hinc & inde Nymphis
 Circumstantibus, Orciaq; & Aßâ,
 Et Mersâ, & Soro, & Arbiâ, & Malenâ,

Sordes

¹ Vmbro nobile Hetruriæ flumen, de quo Rutilius in Itinerario, & Plinius lib. 3 cap. 5.

Sordes abluit : ille mox iacentem
 Mento canitiem manu remulsit ,
 Et sic fatidico locutus ore est :
 Ergò pollicitam benigna fata
 Inuenere viam , sagax futuri
 Quæ Proteus mihi cæralus solebat
 Nostris pandere gratus hospes antris ?
 Ergò iam genitus ² beatus infans ,
 Infans Chisiades , recens Hetruscæ
 Gentis delictum , decusq; Senæ
 Expectatus adest ? adest petitus ?
 Sic est : prodigio rigentis anni
 Venturæ manifesta signa sortis
 Soluunt ambiguam timore mentem.
 O felix nimis ! ô beata tellus !
 Nullis urbibus , & secunda nullis
 Tanto ciue futura Sena terris !
 Felix Chisiadum domus parentum !
 Summorum genitrix domus virorum !
 Quamuis imperio maris potentes
 Portus Herculeos , ³ Cosæ ruinis
 Vicinos Lepidi fugâ notatæ ;

Et

² Idibus Feb. an. 1599. Senis in Hetruriâ natus, parentibus Flauio Chisio & Laurâ Marsiliâ.

³ Petrus Bembo in Epistolis nomine Leonis X. Pont. Max. scriptis, lib. 7. epist. 21.

Et quondam moderata 4 Macereti

*Arces turrigeras, genus vetustum
Iactes nobilium Ranutiorum.*

Quamuis perpetuum decus nepotum,

Illustres animas, piosq; Ianos

Tusci nobile germen Iliceti;

Augustos celebres amore vatum,

Anselmos, Mariosq;, Flaviosq;

Armis conspicuos, togâ verendos:

Iactes & columen Iugis auitis,

Et Stellis iubar additum coruscis

Quercum robore s Iulio superbam,

Maiorem tibi comparabit vnus

Famam Chisiades: & ille quondam

Inter semideos erit Latinos.

Postquam dulcibus expeditus vlnis

Matris Marsilia, solum paternum

Signabit pede iam timente falli,

Ingressus duce semitam fideli,

(Quam sudoribus improbis madentem

Virtutis

4 Maceretum oppidum ditionis Senensis, cuius quatuor abhinc sæcula dominus Anselinus Chisius Frederico Cæsari militavit: nunc præter ruinas & balnea salutifera nihil de eo reliqui fecit vetustas.

5 Iulius II. Pont. Max. Roboreæ gentis suæ insignibus Chisios donavit: ex quo tempore Quercum Montibus & Stellis adiecerunt.

*Virtutis labor Herculi sequendam
 Monstravit teneris adhuc in annis)
 Tentabit subito vireta⁶ Cyrrha,
 Et rupes Heliconias, & umbras
 Doctæ Phocidos, Atticosq⁷ lucos,
 Et sacros Academia recessus:
 Cùm lustris adoleuerit duobus,
 Vivax ingenij sagacis ardor
 Ætatem culicis Maroniani
 Ictu fulminis ocior trisulci,
 Vndâ fluminis ocior citati,
 Præuertet, memoriq⁷ digna cedro
 Vates carmina finget, & seueræ
 Maturus sapientiæ satelles
 Discet 7 Socraticas puellus artes.
 Multum Phillyridæ datus magistro
 Pelides, & Olympicæ quadrigæ
 Debent plausibus, & citantis axem
 Aurigæ stimulis: at ille solo
 Natiui celer impetu caloris
 Fontes sponte suâ petet beatos
 Pulcrarum cupidus scientiarum.*

L

At

⁶ Domesticis vsus præceptoribus in Poësi & politoribus literis.
⁷ Duodécim annos natus, intra priuatos parietes Philosophicas
 theses defendit.

Virtutis

quatuor abhinc
 sari militauit:
 reliqui fecit

nibus Chifios
 s adiecerunt.

*At mox Palladias valere⁸ curas
 Longis excubijs, & agra doctis
 Musarum studijs salus iubebit.
 Sic quæ diuitis India potentes
 Thesauros rapit, ac latus sinistrum
 Præbet continuis sali procellis,
 Ventorumq; minis, nec ulla vitæ
 Audax nauifragi pericla ponti,
 Tandem mergitur, aut fatiscit alnus
 Silvæ filia nobilis vetustæ;
 Securis nisi portubus potita
 Quassatum reparet quiete malum.
 Tum post otia latiore cursu
 Ipsos ausa volare præter Euros
 Ad nostras peregrina dona ripas
 Sospes deuehit ultimis ab oris.
 Quare viribus integer receptis,
 Sancto pectora concitatus æstro
 Viset limina⁹ consecrata magno
 Olim sidereæ Parentis ortu,
 Picenis ubi collibus resedit*

Laureti

⁸ Proximè sequentibus duobus annis vacare cogitur à studijs, stomachi imbecillitate laborans: interea recolat Philosophiæ humaniorumque literarum disciplinas.

⁹ Decimo sexto ætatis anno voti reus Lauretanum iter suscepit.

*Laureti domus, Adriæ per undas
 Illuc vecta, pijs onus cateruis
 Cælestium subeuntibus Quiritum.
 Iam nunc impatiens latere, clausus
 Privato lare, publicas palestras
 Stagira, ¹⁰ cathedrasq̄, porticusq̄,
 Et sacraria maximi Platonis
 Sublimis vigor ingeni requiret.
 Hic quicquid polus ambitu sereno,
 Et tellus gremio, Thetis profundo,
 Et natura sinu fouet capaci,
 Arguta rationis in staterâ
 Scrutatum penitus, magistra recti
 Augustis penetralibus clientem
 Admittet ¹¹ Themis, imperiq̄ formam
 Et decreta docebit æqua legum.
 Seu quæ Cecropiis Solon Athenis,
 Et Sparta rigidus tulit Lycurgus,
 Seu iustus Numa gentibus Latinis,
 Et bis sex tabule Decemuirorum:
 Seu quæ Romuleæ verendus Urbis*

L 2

Antistes

¹⁰ Viginti annos natus, & expleto studij quinquennio, Senis publicas Philosophiæ theses proponit & defendit.

¹¹ Vnum & viginti annos natus, publicas de iure civili theses tuetur.

Laureti

ir à studijs, sto-
sophiæ huma-

num iter sus-

Antistes dedit, inclytusq; Cæsar
Immensi dominator altus orbis.
Hinc desiderij ferente pennâ
Audaci altiùs Icari volatu
Pernicem rapiet sub astra mentem
Diuinæ Sophiæ ¹² sagax Aquinas,
Et velata fides, & alma celi
Maiestas superas recludet arces,
Et sese dabit, ac Deum videndum,
Et puram sine nube veritatem.
Tandem ¹³ promeritos virente crines
Serto triplicis impedire lauri
Certabunt Themis, & seuera Pallas,
Et de Numine differens supremo
Celestis sapientiæ facultas.
Sic donis ¹⁴ sibi debitis potitus
Magnarum nouus artium Senator
Augustum patriæ reget Lyceum.
Mox Senâ procùl impiger relictâ,
Qualis fulua Iouis Tonantis ales
Nido migrat, & experitur astris

Dignam

¹² Septem & viginti annos natus, de vniuersâ Theologiâ publicè Senis disputat.

¹³ Anno 1623. 6. Septembris Philosophiæ; 14. Septembris eodem anno Iurisprudentiæ; 1626. 6. Septembris Theologiæ Doctorem renuntiatus fuit summâ omnium approbatione.

¹⁴ Eodem anno 1626. trium facultatum Collegio adscribitur.

FERDINANDI FVRSTENBERGII. 165

Dignam testibus indolem parentis,

Antiqua cupiet theatra 15 Romæ,

Et mundi dominos videre colles.

O quæ gloria! quanta surget illic

Claro Chisiada seges laborum!

Nobis tanta nefas canendo famæ

Incrementa sequi, vetante Proteo,

Quæ cautus monuit tacenda vates.

Et iam me soliti vocant labores,

Et vos, Naiades, citant liquores.

Hæc Nymphis pater elocutus Vmbro,

Tuscorum decus amnium, tumentis

Sese spumeus alueo recondit.

Tum leuo tonuit ter axe cæli

Fatis addere visus auspiciis

Dextram Iuppiter approbationem.

Quali murmure siderum frementium

Tuscus sæpè suam probavit artem

Dilectus superis Tages aruspex.

Nec præfagia posteris in annis

Veri certa fides Deum fefellit.

Dum nos grandibus æmulos pœtis

Musarum Iuuenilium labores

L 3

Miramur,

15 Anno 1626. 10. Decembris Romam venit.

Dignam

heologia publi-

Septembris co-
ecologiae Doct-

io adscribitur.

Miramur, Lyriciq; vatis auram,
 Et dignum tragico pedem cothurno.
 Seu primo cecinisse doctus ævo
 Pompei lacrymabilem peremti
 Fortunam, Pharij scelus Canopi
 Damnauit pius, ac truces Achilla
 Periuri furias, misertus æquam
 Ingentis generi labare causam,
 Quæ sit victa licet, Catone magna
 Et se vindice non tuetur vno.
 Seu iusti nimis impotens doloris
 Letum nobile, Martiamq; dextram
 Luxit Marsilij gemente plectro,
 Dum fortis cadit hostium ruentum
 Inter funera, prodigusq; vite
 Pulcro sanguine decolorat equor.
 Seu notum Canis æstuantis astro
 Trituræ genus & modos Hetruscæ
 Cantauit, Cererisq;serta lauro
 Vates nexuit, & siticulosam
 Æstatem Clarijs rigauit undis.
 O rus, ô nemus, ô beata Tempe!
 Villa, iugera dulcis 16 Ancarani,

Iucundis

16 Ancaranum Chistorum villa amœnissima non procùl ab vrbe
 Senarum, opportunus Musarum secessus, ybi admodum adolescens
 Pompeium Tragœdiam scripsit.

FERDINANDI FVRSTENBERGII. 167

Iucundis loca Tusculi viretis,
Vdo Tybure, Formijs amœnis,
Et blandis magè delicata Baijs,
Vicine nimis inuidenda Senæ!

Vitavit quoties negotiosæ
Vrbis mœnia, carminumq; fetus
Frondosus ibi Chisius sub umbris
Obstetricibus edidit Camœnis!

At quis sufficiat referre plausus
Fame premia, publicasq; laudes,
Quas docti tulit ingeni? paterno
Deserto lare, cum profectus omnem
Ignoto rapuit stupore Romam
Præsens Chisiades, & eloquente
Cantu plus vice simplici moratus
Oblitum Tiberim via prioris,
Alcides nouus aureis catenis
Tuscorum simul Ausonumq; Suadæ
Sacro murice nobilem Senatam,
Et subsellia traxit alta vatam,
Vocalis quibus Humor Hippocrenes
Largæ nomina fecit apta vena.
Idem Sulpitios, & Vlpianos,
Et Paullos imitatus, & Catones,

L 4

Cum

Iucundis

procil ab vrbe
um adolescens

Cùm responsa dedit, fori querelas
 Expertus tetricas, grauesq̄ causas
 Orauit, Latiae¹⁷ datus sacerdos
 Astræ, veterum patere legum
 Nodos difficiles, & inuolutos
 Laudauit Themis; & Rigor seuerus,
 Et Iuris comites Fides, & Equum,
 Et Fas, iudicis aut sui patroni
 Stiparunt latus; integramq̄ dextram
 Fugerunt auidi Cupido lucri,
 Turpes Insidiæ, malaq̄ Lites,
 Et Fraus, & faciles emi Fauores.

Sic postquam teneris adulta virtus
 Annis Chisiadæ dedit futuris
 Omen laudibus, arduisq̄ curis
 Prælusit grauium negotiorum
 Astræ studijs, & arte Phæbi,
 Turritum caput altiùs leuauit
 Septem collibus, & fauente nutu
 Letis plaudere visa Roma fati,
 Nec mæstas Cremeræ tumentis undas,
 Nec Veios meminit dolens, & uno

Felices

17 Anno 1629. mense Ianuario, vtriusque, quam vocant,
 Signaturæ factus est Referendarius.

FERDINANDI FURSTENBERGII. 169

Felices FABIO vocavit Idus

Fatalem FABIIS 18 diem trecentis.

18 Idib. Feb. sex & trecenti ex Fabijs Veienti praelio inter-
emti. *Ouid. l. 11. Fast.*

AD GALLIAM,
DE MORTE
DIONYSII PETAVII
E SOCIETATE IESV,
Cùm Franciscus Barberinus S. R. E.
Cardinalis illi à Poëtis parentari
iuberet.

S I vacat, & nostras ciuilia bella Camænas
Audiri lituos inter & arma sinunt,
Accipe quæ vates cineri sacramus amico
Carmina, non vno Gallia pressa malo.
Scilicet in longum veniunt tibi tristia morem,
Teq; alia ex alijs fata vicesq; grauant.
Non satis in luctus fuerat, tua pignora, ciues
In te discordes exacuisse manus.
Et Parca fecere nefas, commune, sed atrox,
Cui natura nihil quo medeatur habet.

Felices

iam vocant,

L 5

Six-

*Sirmondus, ¹ quo non alius Regum acta tuorum
Certior, & regni iura referre, iacet.*

*Sumserunt etiam, dum Regum scrinia seruas,
In te lanificæ ius, Puteane, ² Dea.*

*Communis, Puteane, dolor nunc vatibus, olim
Grande decus Clarij præsidiumq; chori.*

*Nec satis: extincti mors importuna Petauû
Accedit tantis nunc noua causa malis.*

*Ille silet, paruaq; cinis compostus in urnâ est,
Suada iacet riguis quam super vda genis.*

*Qualis scissâ comas, lacerataq; pectus apertum
Incubuit Pyllo commoritura seni.*

*Ereptum Ligeris plorat natalis alumnum,
Turbataq; suis fletibus auget aquas.*

*Ipsa dolet miserum regina Lutetia casum
Funereâ sparsas fronde reuinctâ comas.*

*Iure etiam libat lacrymas FRANCISCVS adempto,
Romuleos inter gloria prima Patres.*

*At benè quòd cineri (quid enim non ille meretur?)
Doctorem vatum carmine iusta paret.*

*Nam quid felices frustra dolor urgeat umbras?
Iustius in laudes ora resoluat amor,*

Desine,

¹ Iacobus Sirmondus è Societate IESV, vir totius antiquitatis curiosus inuestigator.

² Petrus Puteanus, Regiæ Bibliothecæ Custos ac Præses, lit-
torum erga literatos officiosissimus,

FERDINANDI FÜRSTENBERGII. 171

Desine, quisquis amas, magni pia busta Petavi

Nil profecturis sollicitare modis.

Quamvis indocilis leges mutare severas

Vitalem Lachesis ruperit atra colum;

Non omnis tamen ille perit: meliore superstes

Parte sui, volitat docta per ora virum.

Quid metuat Lethen obliuia nigra trahentem

Fluctibus? ignavos torqueat ille metus.

Hic rerum memores fastos, memorandus & illis,

Edidit, & Batavam contudit invidiam.

Bis senis docuit celeres cum mensibus annos

Munitam certis legibus ire viam.

Aetheriasq; domos animo percurrit, & astra

Diuisit numeris temporibusq; suis.

Hunc adeo egressum nostrae contagia terrae

Vranie famulâ duxit ad astra manu.

Errantesq; globos, mundi q; volubilis orbes

Pandit, & in toto sidera fixa polo.

Quae super euectus, meriti nunc ciuis Olympi,

Fertur in auctorem, non velut antè, suum.

Nunc illo fruitur propior, totumq; quod ipse est,

Inq; ipso quidquid condidit ipse, videt.

Sive Palestini regalia carmina vatis

Concinit Argolicis reddita carminibus:

Sen

*Seu Diuum medius, Patrum monumenta reuoluit,
Ingenio Diuos detinet ille suo.*

*Non igitur tibi vana ferunt solatia Musæ:
Tu modo te Superum, Gallia, iunge choris,*

A D

MATHIAM NALDVM,
S.D.N. ALEXANDRI VII. Pont. Opt.
Max. Medicum intimum, Aphorismos
Hippocratis notis illustratos Flauio Chi-
sio S.R.E. Card. amplissimo dedicantem,

P *Hæbi sacrarum præsidis Camænarum
Artisq̄, morbos quæ domare cessantes
Potens medelis, & salubribus succis,
Secunda profert sæpè fila Parcarum,
Decus perenne, maximoq̄ ALEXANDRO
Dignus Machaon, quid moraris in dias
Emittere auras luminis, senis Coi
Diuina, Nalde, scita? quæ dies longa,
Et imperita turba plurimis mendis
Opplerat, hæctenusq̄ nouerant pauci:
At mox, fauente Delio, tuis curis*

Deter-

FERDINANDI FÜRSTENBERGII. 173

*Detersa, doctrinaq; luce perfusa
Legentur, & quæ Sol renatus Eoo
Surgit cubili, quaq; conditur fluctu.
Quare secundo munus inclytum plausu
Volare docta per virum sinas ora
Latè, benigno, Nalde, FLAVII tutum
Fauore, nuper arte qui tuâ, multâ
Cum laude, rebus restitutus urbanis,
Regniq; curis, publicaq; terrarum
Felicitati, PATRVOq; seruatus
Excipiet, usque muneris memor tanti,
Tui sereno lumine ingeni fetum:
Eiusq; sidere actus inuidus lior,
Et Zoilorum turba cedit, ut nubes
Fugit corusci pulsa Solis aspectu,
Pontiq; seuientis atra tempestas,
Simul refulsit alba stella Pollucis.*

AD

A D

IACOBVM PHILIPPVM
NINIVM,

S.D.N. ALEXANDRI VII. Pont. Opt.
Max. Cubicularium intimum, & suppli-
cibus libellis præpositum.

NINI meorum lecte flos amicorum,
Cui melle Hybleo dulcius fuit pura
Orationis nectar ore facundo,
Rerum potenti cum refers ALEXANDRO
Negotiosa supplicantium vota:
Humanitatis sapius tue fructum
Expertus. oro, teq; rursus obtestor,
Ocius amici supplices preces nostri
Recites. Quiritum namque fata formidans,
Acerba fata, sospes ad suos Boios
Auet redire, carbasisq; remisq;
Fugæ secundos prouocantibus ventos
Per arua late vectus alta Neptuni
Adire litus hospitale Gallorum.
At Vaticana dona nunc potestatis,

Cui

*Cui paret æther, inferiq̄s, tellusq̄s,
Tantum requirit. Impios canis pregnans,
Parræq̄s cantus, montibusq̄s decurrens
Lupa Lanuvinis, imbriumq̄s diuina
Auis imminentium terreat: quid huic obstet,
Iterq̄s rumpat, si, quod unice poscit,
Cursus precetur prosperos ALEXANDER.*

A D NATALEM
R O N D I N I N V M.

Quod utrique nostrum commodavit argentum
Ad vestiendum Græculum Fauoritus,
Cur Rondinine debuisse me solum
Reglutinare iudicas, minus rectè
In me retorquens negligentia culpam?
Debere nulli me libentiùs nouit
Idem ille, semper qui mihi Fauoritus
Facit benignè, mutua voluntatis
Fideiq̄s certus usquequaque constantis.
Ne creditoris ergò debitor partes
Agas, amice, non rogatus obtestor;
Quin ipse cures, ut bonum sies nomen,
Fidemq̄s semper amulere Germanam.

IANI

IANICVLVS

De Villâ Hieronymi Farnesij, S.R.E.
 Cardinalis, sitâ ad portam
 Aureliam.

Quamuis Ianiculum vocent, nec inter
 Septem mi iuga dent locum Quirites,
 Clarus non ideò minùs sepulcro
 Et Iani patris & Numæ, propinquum
 Tollo nubibus arduis cacumen.
 Vel Farnesia villa, quam remoti
 Prospectus maris, & salubre calam,
 Et felix situs, & loci vetustas,
 Et vultus domini beat, decusq;
 Ingens Patribus additi Latinis,
 Tantos dat mihi spiritus, ut ipsa
 Tali munere letus astra summo
 Tangam vertice, Romulosq; colles
 Nostris despiciam iugis minores,
 Et rerum dominam superbus Urbem.

AD

A D
ALEXANDRUM
POLLINUM.

Ingens Ausoniae lumen, & Atticae
Suade flos, & amor Palladis, & decus
Nostra dulce Camæna,

Nec non candidus arbiter,

Quid, POLLINE, latens iam nimium diu,
Cedro digna negas edere carmina,

Et durus pater abdis

Fetus diuitis ingent?

Non, ut deliteas, te Deus aureâ
Donavit citharâ Delphicus, & sui

Multâ parte Thalia

Versus nectaris imbuit.

Ingratus metuat ledere numina,

Qui, quæ dona sibi contulerint, premit.

Tu Parnasside lauro

Vinctus tempora, nobilem

Indulgens meritis sume superbiam,

Et te victor humo præpetibus leua

Pennis, & super alta

Certus tendere nubila,

M

Ales

AD

Ales fideream carpe citus viam.

Paullum desidia distat inutili

Quæ demersa profundis

Virtus in tenebris iacet.

Quis pugnata duci prælia Dardano,

Et Troie profugos in Latium Deos,

Quis surgentia nosset

Vrbis mœnia Romula,

Morem si rigidis imperijs gerens

Flammis continuo Cæsar edacibus

Immortale Maronis

Commisisset opus sacri?

Verã laude caret sæpè modestiæ

Virtus, & vitio proximus est pudor,

Qui vitare perennis

Audet lumina gloriæ.

Quòd si purpureum spontè vides diem,

Formosumq; caput crinibus aureis

Altâ nocte sepultis

Terris reddere Delium,

Cur te perpetuæ noctis amor tenet,

Frustrantem cupidas Romulidum preces,

Et spes? plena secundis

Tandem pande Fauonijs

Famæ

FERDINANDI FVRSTENBERGII. 179

*Fama vela tua, finibus Italis
Qui porrecta domum Solis ad ultimam, &
Septem regna trionum
Latè nomina proferant.*

*Mox te Pierio carmine nobilem
Dignis posteritas tollet honoribus,
Magnorumq; beatiss
Vatum cœtibus inseret.*

A D
STEPHANVM GRADIVM
ABBATEM.

*S*ic tibi sint faciles Musæ, sic dexter Apollo
Sororibus cum Gratiis
Adsit, & attentis bibat auribus, optime poscis
Quæ supplici GRADI prece:
Vt mihi flexanimo permotam carmine mentem
Alti tenacem consili
Expugnas. Iuuat ire iugis, iuuat vsque relictum
Lustrare Musarum nemus,
Et virides ederâ rupes, & rupibus undas
Haurire manantes sacris.

Fama

M 2

Sentit

*Sentit enim Phœbi stimulos, & pectus anhelat
Calore succensum tuo.*

*Non tamen heroos ausim tentare cothurnos,
Magniq; laudes CHISII*

*Deterere ingenij culpâ. Quis namque canendo
Aquare virtutes queat?*

*Quis Melite curas, aut fortia facta Padusa,
Quis alta Roma munera?*

*Nemo difficiles pacis, mihi crede, labores
Cantare dignius potest*

*Ipsò CHISIADÈ; seu ferrea Martis iniqui
Abominatus secula*

*Luget, & undantem Germano sanguine Rhenum,
Et arma damnat impia:*

*Seu coniuratas Bellona iustiùs iras
Interga verti barbara*

*Imperat, ac fido lacerari cornua ferro
Luna superba Thracia.*

*Sed quæ vesanas agitat discordia gentes?
Quis mutuas cedes furor?*

*Quæ rabies? aut quæ dementia suadet amico
Emi cruore lauream?*

*Quis pudor Odrysi regnum fulcire Tyranni
Labentis Europæ malo,*

Et,

Et, ne res Venetæ crescant, permitttere Cretam

Scythæ premendam perfido?

Parcite ciuili iam tandem parcite bello:

Satis ruinas urbium

Fleuimus, & sparsos cognato sanguine campos:

Datum satis discordiæ.

Parcite: vel si tantus amor vos Martis adurit,

Si tanta regnandi sitis,

Mutatis odijs Gallus conspiret Ibero.

Hic nota per vestigia

Regna petat Libyæ: Solymos magis ille triumphos

Virtutis antiquæ memor

Ambiat, & palmas latè frondentis Idumes

Victrice decerpat manu.

Ite alacres, ite ergò, mari date vela secundo

Deuota pugna nobili,

Ite pij Reges: coniunctas fœdere dextras

Communis armet ultio,

Aut metus, incumbat propius ne barbarus hostis

Clarâ potitus insulâ.

At nos, Germani proceres, iam pace receptâ

Ad arma cessantes noua

Ister ad arma vocat, dudum indignantibus undis,

Qui Bistonum pressus iugo

M 3

Seruit,

Et,

Seruit, & excidium nobis ac damna minatur.

Extrema fortuna grauis.

Quin igitur pulcrâ pro libertate ruentes

Vicina Buda mœnia

Rumpimus, & vastus quâ verberat ostia Pontus

Immugientem Bosporum

Addimus imperio, referentes signa superbis

Derepta Byzanti tholis?

Tunc me cognatas acies, & nobile bellum

Graui sonantem barbito

Miratus, nostras laudarit fortè Camœnas

Silente Rhenus alueo.

Tunc & Mœonio seu carmine nobilis arma,

Sive efferas pedestribus

Docte GRADI historijs, ingentia facta meorum

Seros docebis posteros.

AD AMICVM.

*Ne popularibus rumoribus fidem
habeat.*

T*V cui sollertem rerum prudentia mentem*

Formauit, & Phœbus pater

Fatidicos lucos Heliconis, & antra reclusit,

Amice, veri conscia,

Quid

FERDINANDI FÜRSTENBERGII. 183

Quid bibulam dubiis donas rumoribus aurem?

Quid vana Romæ sibila

Sollicitant animum pendentem murmure vulgi,

Vt ore doctoris puer?

Sive infanda sonat conuitia, sive tumentes

Buccas resoluit laudibus

Immodicis, fama, moneo, ne crede loquaci;

Quam præuolant Calumniae,

Insidiæq; sequuntur, & artes mille nocendi,

Liuroq; letis anxius,

Nec non Blanditiæ, corruptaq; Gloria fuco,

Et emta vulgi Gratia.

Sint portenta hominum nigro suffusa veneno,

Et plena falsi pectora,

Qui, dum vipereâ fingant mendacia linguâ,

Sese poëtas estimant.

At satis exoriente die commenta patebunt

Et virulenta somnia,

Aut euanescet rumor, qui creuit eundo,

Crescente temporis morâ,

Qualis in Assyriam Gyndes exundat, & idem,

Cyro iubente, naufragum

Propter equum, latè centum diductus in amnes

Decrescit ipso se minor.

*Ergò si populi sermonibus exul amicus
Narratur aulâ, ne fauor
Illum deſtituat, ne gratia vitrea frangi,
Timere non erit tuum
Ante fidem certam, primæ niſi credulus auræ
Dolere bis velis miſer.
Sic etiam vulgo ſi cuiquam teſte paratur
Latina fortè Purpura,
Seu Vaticanæ Sedis ſuprema poteſtas,
Sperare non erit tuum.
Ne frustrata gemat, ne votis uſa ſecundis
Mens gaudiorum præcoci
Germine decerpto, maturos perdat honores,
Et vana ſpem ludat ſeges
Letitiæ. Expectare licet: dilata voluptas,
Ceu lenta veris gratia,
Plus iuuat, & denſis placet eluctata tenebris,
Micanſq̃, ceu ſol, Veritas.*

AD

FERDINANDI FVRSTENBERGII. 185

AD NATALEM
RONDININVM.

Qui sua cæcus amat, ceu natos cercopithecus
Amore vesano fouet,

Et necat amplexu, formam admiratus & ora
Ridenda, visu & turpia;

Audiat exemplum sacri miserabile vatis,

Aurita qui Thracum potens

Saxa mouere sono, blandâ prece carminis ima

Ditis refregit atria,

Non exorato portas adamante rigentes

Ingressus, ut raptam sibi

Eurydicen superis Proserpina redderet auris,

Lyra sonantis premium.

Reddita iam fuerat coniux, cum ponè sequentem

Iurata contra fœdera

Respicit infelix Orpheus, & quam nimis ardet,

Amando perdit coniugem.

Tristia Narcissi quis funera nescit, & ignes?

Quem fontis umbra lucidi,

Et sterilis deceptit amor, dum prendere vultus

Imo repercussos vado

M 5

Solli-

*Sollicitus, visa tabescit imagine formæ
 Amator imprudens sui.*
*Ergò caue, quisquis simili vesanus amore,
 Apollinari laureâ
 Carmina digna putas, nugis quæ plena canoris,
 Sed cassâ rebus parturis
 Iratis Musis. Tantum sitis improba laudum
 Suadere amat dementiæ.*
*Non eadem nobis es, RONDININE, monendus,
 Ocelle gentis Itale,
 Noster amor, qui iura licet diuina piorum
 Perfusa doctrinâ Patrum,
 Et Latij veteres, & Graiæ Palladis artes
 Claudas capaci pectore;
 Non ideò temet vanus miraris, ut ales
 Superba Iunonis solet
 Pandere laudatæ gemmata volumina caudæ
 Ad discoloris Iridis
 Inuidiam. Quin ipse grauis tua carmina censor,
 Linenda cedro carmina,
 Exigis ad limam, non dedignatus amici
 Sensum atque mentem exquirere
 Ingenui: nec theta nigrum quandoque recusas,
 Aut pollicis versi notam.*

FERDINANDI FÜRSTENBERGII. 187

Sic Venusinorum sermonum candidus audit

Iudex Tibullus, & suos

Nasoni solitus recitare Propertius ignes

Arbitrio illius stetit.

Sic & Apelleas Lysippus sæpè tabellas

Colore viuo perlitas,

Signaq; Lysippi spirantia doctus Apelles

Curâ recognouit pari.

Nempe minùs peccat, præbere fidelibus aurem

Quicumque præceptis amat.

Nec metuit Bauios, qui sese, iudice recto,

Castigat erroris reum.

Ingenium quicumq; suum pluris facit æquo,

Non estimandus posteris,

Aut tineis epulas, aut scombris debet amictum,

Ridenda vulgi fabula.

AD

A D

GVILIELMVM SVVM,

Româ per Galliam, vbi Marfilix portu ob pestilentix suspicionem prohibitus, Telone susceptus, & Lugduni graui postmodum morbo tentatus fuit, in Germaniam ad suos proficiscentem anno M.DC.LVI. Non. Nouemb.

Ergone Tyrrhenum volitanti per mare puppi,
Et impotentibus Notis

Credulus, ire paras?

Nec fœdas hyemes, nec monstra natantia ponto,

Nec saxa palles naufraga?

Quin etiam fidei

Immemor antè data, Romam fugis, atque sodales,

Et fratris, ô vitâ mihi

Frater amabilior,

Deseris amplexus votis tua vela sequentis,

Ne seuus illis Africus

Ingruat, aut Boreas.

Verùm age, quando fugæ certam iam nulla morari

Mentem queunt suspiria,

Oceanive mina,

I felix,

FERDINANDI FÜRSTENBERGII. 189

I felix, longumq̄, vale, celeremq̄, carinam

Regant benigna sidera

Fratribus unanimis

Tyndarida, pelagiq̄, potens Neptunus eunti

Irata componat freta,

Nereidumq̄, chorus

Adsit, & alma Thetis, dum ventis usque secundis

Sparsas per æquor Stæchadas,

Phocaicosq̄, sinus

Attigeris. mora nulla: petas tunc sospite cursu

Optamus urbem, quam celer

Alluit hinc Rhodanus,

Illinc lentus Arar. Sed quid præsaga futuri

Siniſtra fata mens timet?

Sit, precor, augurij

Vana fides, meritisc̄, tuis votisc̄, tuorum

Permota, spes Germaniæ

Numina respiciant.

Hinc infelici positas in rupe Gebennas

Præternolabis, & iuga

Plurima sideribus

Proxima transgressus, descendes flumine Rheno

Beata demum patriæ

Arua videre tuæ,

Arua

Arua olim proavis regnata, & cede Latinâ
 Conspersa, quâ Varus graui
 Stratus ab hoste iacet.
 Quos ego nunc plausus audire? quot oscula caris
 Diuisa amicis, intime
 Quas videor lacrymas
 Cernere letitiæ testes? quæ gaudia fratrum
 Terrâ mariq; deuium
 Fratris iter reducis,
 Et res optantum nostras, Italûmq; labores,
 Et facta ALEXANDRI inclÿta
 Noscere? quæ dubijs
 Narrabis melius rumoribus, ipse fidelis
 Spectator: ut pulsâ fame
 Finibus Ausoniae,
 Illius auspicijs opulento Copia cornu
 Bearit vrbes, & redux
 Frugibus arua Ceres:
 Ut nunc consilijs presentibus, impiger Hydrae
 Qualis renascentis caput
 Amphitryoniades,
 Infestam Latio pestem premat inclÿtus Urbis
 Seruator, hinc & patriæ
 Audiat vsque Pater:

Nec

Nec tamen has inter curas , terrarūq; mariq;

Cretæ laborantis piam

Mittere rebus opem

Cesset , & Europæ conuertere bella furentis

In regna latè barbara

Thracis , & exitium.

Hæc & plura tuis memorans , nec vota silebis

Romæ precantis iam diu

Egregio iuueni

Virtutis patrue vestigia sacra legenti,

Decus Latine Purpure ,

Et meritos titulos.

Intacti siquidem mores , animusq; benignus,

Ac vena diues ingeni ,

Cultaq; Pierijs

Artibus , & Themidos studijs , ac sub lare sancto

Nutrita mens , & indoles

Viuida CHISIADÆ

Spem faciunt , curas partito ac pondera mundi,

Longos ALEXANDRO fore

Et sine nube dies.

POE.

FERNANDI FÜRSTBERGII 121

The same has been done, that is, made
 Carta laborantibus, etc.
 Christianis rebus operis
 Carta, et Terrae communitate habita fuerunt
 in regna lat. habent
 Throni, et cathedrae
 Hoc est charta, etc. etc.
 In hoc charta sunt die
 Ergo inveni
 Titulus patris regis, etc.
 Deum, etc.
 In nomine domini
 In nomine domini, etc.
 Et non dicitur
 Ceterum
 Titulus, et dicitur, etc.
 Quia non, etc.
 Titulus, etc.
 Quia sunt, etc.
 Titulus, etc.
 Et hoc modo

FOE

I
P